

MUSICA
MEDICE CONSIDERATA
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM ANNUENTIBUS

MAGNIFICO DOMINO PRAESIDE ET DIRECTORE, SPETTABILI DOMINO DECANO, AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS PRO GRADU DOCTORIS RITE CONSEQUENDO IN ALMA, AC CELEBERRIMA REG. S. UNIV. PESTIENSI PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

VICTOR IVANCHICH,

Assistens medicus nosocomii Civici Pesthiensis ad St. Rochum.




Theses adnexae defendentur in Palatio Universitatis majori
die Mensi Augusti 1834.

PESTINI,
IN TYPOGRAPHIA LANDERERIANA.

Wirke Gutes, du nährst der Menschheit gold'ne Pflanze
Bilde Schönes, du streust Keime der Göttlichen aus.

SCHILLER.



ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI MABUCHI

**ELECTO EPISCOPO SCUTARIENSI, ABBATI B. M. V. DE CAMPO
STRIGONIENSI, CATH. ECCL. ALBAREGAL. LECTORI, ET CA-
NONICO, EXCELSAE TABULAE SEPTEMVIRALIS
ASSESSORI.**

VIRO
PIETATE IN DEUM, FIDELITATE IN REGEM
AMORE AC MERITIS IN PATRIAM
CLARO
ERUDITIONE, MANSVETUDINE
HUMANITATE AC LIBERALITATE
NULLI SECUNDO
SCIENTIARUM CULTORI, ERUDITORUM
MÆCENATI
FAUTORI BENIGNISSIMO
EXIGUAS HAS PAGELLAS
IN
SEMPITERNUM GRATI ANIMI,
ET PROFUNDISSIMÆ VENERATIONIS PIGNUS
DEVOVET.

AUCTOR.

P R O E M I U M.

Quamvis musica primo intuitu oblectamento hominum magis, quam artis medicae adminiculo inservire videatur, curatori tamen in eam conjuncta attentione, potens offenditur medium, quod in hominum conservandam, firmandam, et restituendam sanitatem inde jam a prisca antiquitate, ad nostra usque tempora influxum exeruit, et hodieum exerit. Missis specialioribus artisticis, utpote ad forum Medicinae non spectantibus musices notionibus, eam pro Themate Dissertationis meae inauguralis eligens, iis solum sub respectibus considerandam proposui,

VI

quibus ut supra adduxeram in sanitatem hominis
influit. Si scopum, quem omnibus ingenii mei ner-
vis assequi adnissus sum non attigissem, id divi
cantoris me excuset carmen: „ut desint vires ta-
men est laudanda voluntas.“

Dabam Pesthini, die 26. Julii 1834.



Auctor.

INTROITUS.

Musica ¹⁾ musica ars, ²⁾ musice, ³⁾ musurgia ⁴⁾ muzsika, hangászat, Musik ⁵⁾ est scientia sibi invicemjungendi sonos.

Tripus cui musicen insidet est: Harmonia, Melodia, et Rhythmus.

Harmonia est conjunctio sonorum plurium respectu spatii, ita ut simul existant, et unus eorum (basis) in se contineat rationem, cur reliqui cum eo sint.

Melodia est conjunctio sonorum plurium respectu temporis, ita ut, sese invicem excipiant, et praecedens sonus in se contineat rationem subsequentis.

Rhythmus est mensura constans certae cujusdam extensionis, quae plures sonos diversae durationis amplecti valet, quorum summa tamen huic mensurae conformis, et eiusdem magnitudinis ut illa est.

Teste experientia, alii soni dum simul audiuntur, grāti, alii ingrati sunt. Illae consonantiam, hae dissonantiam efficiunt. Consonantia rursus in perfectam, et imperfectam partitur.

Ad excitandum sonorum connubium, non requiritur mera consonantium praesentia, imo vero dissonantia ratione spatii, et temporis loco opportuno adhibita, harmo-

1) Ciceron. orat. I. 3. c. 33. 2) Plinii h. n. I. 2. e. 25. 3) Quintiliani inst. orat. I, I. c. 10. 4) a μουσουργίᾳ modulari. Ath. Kircheri. Musurgia universalis. Amst. 1662. fol. 5) a graeca voce μουσική scilicet τέχνη quod ipsum iterum a μουσα oritur, ob latam significationem, quam vox haec apud Graecos relate ad cunctas artes pulchras habuerat.

niam auget, eamque reddit insigniorem (quam tamen harmoniae concinnandi methodum artistae musices aevi nostri proh dolor! nimis late extendunt). Quae harmoniae origo verosimillime ex eo deduci potest, quod per sonorum dissonantium, mentis antea nonnisi consonantibus delectatae concitetur attentio, qua deinceps voluptatem consonantiis producendam, vividiorem sibi repraesentare possit magisque perspicuam. Fit enim hoc, ut cum cunctis rerum stimulis, sensus enim iisdem semet serie ininterrupta excipientibus etiamsi amoenissime eosdem vellicantibus lacesiti, in fine tandem obruuntur et obtunduntur; qui novitus per alium prioribus e diametro interdum oppositum expergefati, in valorem sincerum rursus attentantur.



PARS PRIMA.

De influxu musices in organismum animale.

Physiologicam explicationem actionis sonorum et musices, Dissertationis angustiae dare vetant, sufficiensque fore existimavi, omnimodum eiusdem quem ponit in organismo effectum attente considerare.

Influxus musices in organismum animale in dubium trahi absolute nequit. Notum est, quanti jam prisca musicen habuerit antiquitas.

Teste historia mosaica, haec ars jam ante diluvium a genere humano multum culta exstitit. Chaldaei et Phoenicii, cantum et tubarum sonos cultui deorum associavere, prout et Aegyptii festis Isidis et Osiridis. — Persi et Medii musicam ad magnum perfectionis culmen etulere. Hinc musica ad Haebreos transivit, a quibus pariter non parvi habita, ut e poematibus eorum videri potest, cum quibus musica amica ut plurimum incedere suevit manu.

Veteres Graeci quatuor habuere cardinales tonorum varietates. Cuilibet erat certos producendi animi motus. Phrygica acuebat audaciam et furorem, ea prisca proeliis usi sunt, ut militibus animum adderent, totumque excitarent exercitum. Eiusmodi est, quam hodie in re militari adhibere solent musica turcica. Lydica excitabat tristitiam, luctus et desiderium. Aeolica tenerum amorem. Dorica misericordiam, et pietatem erga Deos.

Orpheum ad convivia crebro invitarunt imperatores, qui delectarentur modulis ejus. Et profecto quocumque voluit, eos flexerat, ut de ira ad mansuetudinem, de tristi-

tia ad hilaritatem, de avaritia ad liberalitatem, de timore ad audaciam, *) quae quamvis fabulosa, et nimia esse videantur; magnum nihilominus effectui musices lumen fenerant.

Cicero de legibus Lib. II. sequentia fatur encomia: „Assentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in utramque partem; namque et incitat languentes, et languefacit excitatos; et tum remittit animos, tum contrahit.“

Accedit his de musica prolatis Theod. Gresemundus **) in egregio suo de musica dialogo. En aliqua: „Haec enim ars non eam humanis mentibus laetitiam ingerit, quae obesse possit; sed moerorem, passionemque melancholicam exterminat. Quin imo et gaudium intemperatum potest imminuere. Sunt enim funebres cantus, tristiaque carmina, quae te si fueris nimium elatus, moestum reddent. Sic optimo quodam moderamine nostri affectus temperantur, ut nec moerore dejecti torpeant nec plus aequo insolescant. Ad animorum itaque commotionem nihil est, ut ita dixerim, utilius musica. Nam et mentes in rabiem versas mitigat.“

Existit porro generalis musices in organismum actio, vix enim percipiuntur primi musices adridentis toni, jam integrum corpus universalibus corripitur tremoribus, occupat inexplicabilis voluptuosus sensus nostros stimulus. Si musica sit alacer, et strepitoso-amoena, tunc oculi splendent, facies turget, pulsus fit fortis aequabilis, calor animalis adaugetur, et cunctae organorum functiones, majori cum energia procedunt, quas mutationes organismi jam veteres apprime novere, qui coenis suis luxuriosis musicae amoenitates adsociare, nulli intermisere, quive mos nec nobis peregrinus est. Musica segnis et tristis contrarios producit effectus, evadunt oculi tristes, facies pallet, san-

*) Roder a Castro I. c.

**) Theoderici Gresemundi junioris moguntini lucubratiunculae honorum septem artium liberalium Apologiam, ejusque cum Philosophia dialogum, et orationem ad rerum publicarum gubernatores in se complectentes. Moguntiae 1497.

guis ab externis partibus ad interiores confluit, unde cutis frigescit, augentur cordis pulsus, spiritus trahuntur lentiores ac profundiores.

Valet musica timorem, moerorem, inquietudinem, et taedium dispellere. Harmonia amoena potitur animo, et liberat eum ab atris curis, quae indispulsae totum pervertere queunt organismum.

Memoratu digna sunt quae historia de musices in animum influxu ait: Alexander Macedo per Thimothei celeberrimi eius aetatis fidicinis, modos in maniae speciem incidit. — Terpander musica composuit populum tumultuantem. — Phemius dearmavit Ulissem. — Lusor quidam Psalterii Amuratem IV. sanguine fratrum suorum occisorum adhuc madentem ad lacrymas fundendas concitavit. — Lipsium per musices modulamina summa moestitia correptum fuisse narratur. — Dux quidam venetus iisdem in tantos furores est actus, ut haud multum abesset, quin adstantes adgrederetur. — Saxo Grammaticus de Erico bono Daniae rege memoriae prodidit eundem a musico quodam tam insanum fuisse redditum, ut sui non potens adrepto gladio plures trucidaret. Rousseau auctor Encyclopediae Ebrodunensis s. art. musique commemorat fuisse Sacerdotem quemdam, qui artis musicae haud imperitus citharae sonis ab experientissimo quopiam citharista provocatis, eum in modum est abreptus, ut prae respirationis difficultate discedere cogeretur. Idem Sacerdos postea adseruit se extinctum fuisse, nisi discessisset, aut quodsi eidem posthac modulatore auscultavisset. — Idem Philosophus mulieris etiam cuiusdam Parisiensis mentionem facit, quae nullam prorsus symphoniam poterat audire, quin in risum involuntarium et convulsivum erumperet. — Quinctilianus refert, cum vidisset Pythagoras juvenem quemdam ira vehementi commotum admovere ignem domui amantis suae, quae aemulum exceperat, jussit musicum sumpta cithara cantum modulari; quo factum est, ut juvenis furor protinus sedaretur. — Quum Elisabetha Angliae regina morti vicina esset, postremam sibi symphoniam institui jussit, qua ut in praegressa vita delectata fuerat, ita hilaris decederet. Et revera ad ultimum usque spiritum modos insigni cum delectamento auscultavit.

Nullum sane musices genus tanta sublimitate gaudet ac symphonia ecclesiastica. Excelsiori illa caractere notatur, summa divini numinis veneratione omnino digno, quippe quo auditorum sensus in unum religionis videlicet exercitium conjungere, atque hoc ipsum adaugere studet. Quantum ex symphonia ecclesiastica, dummodo sancta eam simplicitas, dignitasque moderatur religionis exercitio accedat vigoris, quanta sit eiusdem in animum ingenuis sensibus consiliisque replendum vis, et periti et rudes, quin imo homines in sacrorum usu lenti satis intellexerunt, atque palam professi sunt. Exemplum notatu dignissimum praebet historia sub primis initiis usus musices in templis cathedralibus ecclesiae romanae. Ambrosius et Damasius, Pontifices Maximi primi fuerunt, qui vulgum adlecturi, ecclesiasticas instituerent symphonias. *) Hae ipsae sacraeque solennia, magna cum dignitate celebrata, nec non ritus in nobiles, quorum non pauci curiosi convenerant, tantum ponderis habebant, ut templa non relinquerent prius, quam essent baptizati.

Nonne musica sacra quam Romae in Pont. sacellum quotannis in majori hebdomada canitur, et praecipue celebratissimum illud Miserere immortalis Allegri animos mira quadam ratione vique difficulter explicanda ita percellit, ut illam excipientibus doctrinae catholicae sacrosancta veritas, illis etiam haud raro illucescere incipiat, qui praeceptis illius acrius renitebantur? Quum illustris Germaniae Poeta Zaccharia Werner, auctor poëmatici, quod Lutheri laudes factaque encomiis celebrat late resonantibus, cantum illum audivisset, tam graviter percussus fuit, et commotus, ut ipsum poema propria scriptum manu comburerit, et tanto romanam fidem fervore amplecteretur, ut istam nemo illo valentius publice in ecclesiis promulgaret.

Notabilem scenam miles quidam Parisiis praebuit, quum recte productioni Missae piacularis celebratissimi per orbem terrarum Mozart interesset. In ephemeridibus musicis Lipsiensibus anni 1805 s. num. 16. res ita

*) August. Aurel. Confession. Lib. 9. Colon 1604.

narratur: „Neben mir stand ein ältlicher Militär von Erziehungsart, der aber, wie ich vernahm, keine Musik verstand, sondern nur mit Ernst und grosser Aufmerksamkeit da stand. So wie jene Instrumente nach einander leise eintraten, hob sich seine Brust sichtbar höher, und das bärtige Gesicht richtete sich empor; als aber nun die ersten, in's innerste Mark eingreifenden Akkorde der Geigen, Forte von den Posaunen unterstützt eintraten: da stürzten Thränen aus seinen Augen, er drückte meine Hand bis zum Schmerz, und rief: Allmächtiger Gott!“ Quot, quaeso, huiusmodi scenis ansam jam praebuerunt tot tantique symphoniarum ecclesiasticarum auctores! ut sunt W. A. Mozart, Jos. et Mich. Haydn, Naumann, Pergolèse, Winter, Stadler, Hummel, Preindl, Eibler, et innumeri alii, quorum tamquam divinorum Opera in dies magis admiramur?

Quid concertus musicus in dramate musico praestat nemo non perspiciet qui reputaverit, cantorum cantricumque adfectus sonorum modulamine incendi, declamationem in continuo cum concentu certamine; majorem semper vim, novum vigorem ac venustatam nancisci, cunctasque artes, quae eidem, dramati exornando deserviunt melodiis animari, itaque musicam vel potentissimam esse, cui tanti dramatis huius in excitanda delectatione effectus debeantur.

Quid de musica chorica et hyporchematica (Tanzmusik) proferam, cuius finis in delectando consistit, quem vix ullum musices genus certius adsequitur? Quanta J. Strauss et Lanner (novam in hacce musices germanicae specie epocham facientibus) artis magistris tribuenda laus?

Exstant porro facta complura, ex quibus, ope musici concertus physicum hominis robur valde augeri posse luculenter patet. Dum Demetrius Poliorcetes Argos expugnaret, milites sui ingenti machinae bellicae, quam ipse detexerat et eleopolin denominaverat, muro admovendae propter immensum pondus impares fuerant. Qua occasione Herodotus Megarensis vir inauditi ferme roboris, qui binas simul buccinas inflare valebat, utramque ingenti cum

strepitu personare fecerat, ita ut vel exinde militibus satis virium accessisset, qui quod antea non poterant, perficerent.

Alexandrum Ptolomei VII. Aegyptiorum regis filium, tam obesum fuisse narrant, ut ne gressum quidem facere posset, nisi a duobus sustentatus ministris. Quae machina iners quam primum in coena ad saltationem canere coeperant symphoniaci, magno impetu e lecto exsiluit, et per magicam modorum vim ea cum dexteritate, ac facilitate saltavit, ut vel exercitatissimo cuique videretur antecellere.

Narrat Chardin, in Persia, ad perficiendum eximium laborem qui e. g. aedificii cuiusdam demolitio, multorum operam exigit, adhuc symphonias itinerarias (Mär-sche) praeludi, iisque incolas convocari, qui sub huiusmodi modis Phrygiis non interruptis laborem quam citissime perficiunt *).

An non quotidiana nobis docet experientia: militem musica ductum multo maiora facere valere itinera majoresque subire labores? — Personam juvenem musica aridente animatam, integra saltare valere nocte, quae sine ea, nec dimidia incederet hora, quin summam persentisceret defatigationem?

Antiquitus maritis iter suscepturis mos erat, apud uxores suas musicos relinquere, ut quorum modulamina fidem conjugialem servarent. Agamemnon ad Trojam expugnandam profecturus conjugii suae Clytaemnestrae modulatorem reliquit, qui eam contra captiosas Aegisthi blanditias modis suis tueretur. Quo munere Demodocus eo cum successu est functus, ut Clytaemnestra omnibus, quibus Aegisthus utebatur, artificiis facile resisteret. Sed sublata tandem cum Demodoco clanculum interemto etiam fidei custodia, Clytaemnestram corruptelarum illecebris haud difficili negotio irretitam cepit Aegisthus.

Hodierni tamen zelotypi ad hocce remedium confugere negligunt eo fortasse, quod musica nostris diebus tanto sit destituta privilegio. Hanc nos potius cogno-

* Rousseau Dictionnaire de musique Artic. „Marche.“

scimus amores excitare, amanti blandiri infelici, fortunatum recreare, et victoris canere triumphum. Hoc illae experiantur pulcherrimae puellae, quae mediis in tenebris hauriunt avidis auribus dulcissimas amantium cantiones; ipsaeque hoc fateantur trepidae matres, quae tantam saepe filiabus voluptatem amaris iuspergunt, querimoniis.

Pertractatis qui ex variis concentus musici generibus in hominem sanum redundant effectibus, de singulorum quoque sonorum vi quatenus ex diversa instrumentorum indole pendent, mentionem faciendam existimo. Omnes reliquos sonos amoenitate superat vox humana, nihilque hominis cantu penetrantius in movendos animos esse potest, utpote qui ab instrumento, ut ita dicam, summopere naturali profectus ideo nobis prae omnibus placere videtur, quum naturae nostrae ut Clariss. Prof. Prochaska egregie adnotat, magis homogeneus sit, quam omnes soni ab aliis organis musicis producendi.

Post vocem cantumque humanum vel maximam vim in sinu recondunt instrumentorum soni, qui quoad analogiam voci humanae proxime accedunt, huc spectant Harmonica, omniaque instrumenta flando tractata. Haec sequuntur organa chordis instructa (Saiten-Instrumente) ut est clavichordium etc.; ultimo loco habentur instrumenta pulsando tractanda ut tympanum etc. Sunt etiam, qui tonis singulis, variam tribuunt efficaciam *) id quod confirmat experientia; scimus nimirum, duplicem illam tonorum ad se invicem relationem, quam genus soni (die Tonart) nuncupant videlicet duram, et mollem (ut ajunt) suis favere affectibus excitandis, priorem jucundis posteriori moestis.

His itaque notabilis musices in hominem sanum influxus demonstratus est transeundumque erit ad effectuum quos in aegro ponit expositionem.

*) Vide: Schubart's Aesthetik der Tonkunst.

PARS SECUNDA.

De influxu musices in faciendam medicinam.

Si musica tantum capite praecedente commemoratum in organismo sano exerere valet effectum; aliquem in morbo laborante ut ponat primo statim obtuitu quisque perspiciet.

Infelix foret medicus is, qui omnem suam in lagenas pharmaceuticas reponeret confidentiam; nullusque in alios Aegroti influxus, et circumstantias converteret attentionem.

Ex hoc adeoque, junctim cum iis capite priori recensitis motivis, sit mihi licitum, de musices in medicinam influxu quaedam disserere.

Ad servandam, firmandamque populi sanitatem, musica, medico-politico respectu, considerationem sui non tam exiguam jure exposcit. Nemo exploratissimum non habet, timorem, epidemiis regnantibus et tempore calamitatum publicarum morbo evolvendo favere; quare durante epidemia, quam maxime agendum, ut quae timorem pariunt absint, non desint vero, quae animum reficiunt, atque exhilarant. Hinc musici concentus, quales per vias audiri solent publicas recreantes plebiculae aures non sileant eo tempore; imo quamdiu silent, morbus eo gravius furit epidemicus; quam primum denuo expergefiunt, animos recreant, vitaeque energia excitata epidemiae obicem firmiorem ponunt.

Audiamus ea, quae celeberrimus J. P. Frank *) ait: „Die Polizei darf es also an diesem grossen Mittel der

*) Eiusdem: System einer vollständigen medicinischen Polizei. Mannheim bei C. F. Schwau. 1783. 3. Band, Seite 808.

„Aufmunterung und Volks-Ergötzung in grossen Städten
 „nicht fehlen lassen. Sie muss in solchen für gute Ton-
 „künstler sorgen, welche sowohl das Ohr der Zuhörer
 „befriedigen, und in einer melancholischen Stunde den
 „Teufel der Traurigkeit vertreiben, als auch Musikliebha-
 „bern, in dieser so manche Lücke des menschlichen Le-
 „bens, zum Vortheil der öffentlichen Gesundheit ausfäl-
 „lenden Kunst einen gründlichen Unterricht geben mögen,“

Taceo de iis, quae musica in emolliendam morum
 duritiem, mitificandam asperitatem, diminuendum animi
 torporem conferat, de iisque saltem verba facere volo,
 quae musica ad medicinam faciendam, praestat.

Historia usus musices medici antiquissima, prout fa-
 ctis refertissima est, ita insertis fabulosis confusissima.
 Sed quomodo aliter fieri potuit? Veterum enim sacerdotes,
 ut qui primitus medicinam fecerant, praestantissimos mu-
 sices effectus, magicis mysteriosisque obtegere velis, id
 quod sagacissimus Kau-Boerhave jam suspicatus est di-
 cens: „Dubito an omnia, quae de incantamentis dicuntur
 carminibusque, non sint adscribenda effectibus musices,
 quia excellabant eadem veteres medici.“*)

Antiquiora tamen fide dignarum de musica morbi hi-
 storiarum exempla collegere: Bochard, Grotius, et Clericus.

Castiores, ideoque fide digniores sunt observationes,
 atque experimenta, quibus seriori aevo, ad nostros usque
 dies, circa medicatrices musices vires operam navarunt
 medici, quaeque hic commemorare mei feceram juris, ut
 e quibus musices usus therapeuticus eventu felici corona-
 tus innotescat.

Teste experientia sunt morbi qui partim cum lang-
 vente, partim exorbitante incedentes nervorum vita, suas
 musicae victrici tradunt manus; quare nos primario morbos
 consideraturi sumus, in quibus vita nervorum langvens
 musices ope extolli; dein ad illos transibimus in quibus
 vita nervorum exorbitans musices ope compesci poterit.

*) Liber impetum faciens pag. 362 num. 412.

I. Morbi cum langvente nervorum vita musices sopore curati.

Director May Heidelbergae tractavit quondam puellam, quae Typho torpido laborans in sopore jacebat. Hic svaserat matri puellae, quae musicam callebat, ut concentum quemdam; quae filiae prae ceteris semper in acceptis fuerat, luderet, per quod tempus ipsemet aegram attente observit. Vix aliquo tempore mater praecepto medici obediverat, liniamenta faciei aegrae in sopore jacentis inexplicabilis occupaverat hilaritas et ex clausis eiusdem oculis lacrymae promanavere. Medicus effectum remedii huius videns, post aliquod temporis spatium probam reiterati curavit, eo cum successu, ut aegra conscientia sui recuperata oculos aperiret.

Exemplum simile reperitur et in Georgia (St. 40. pag. 129.) Homo juvenis culturae mentis insignis, jacebat septimo morbi die aeger, morti proximus, in tacito delirio, aperto ore, dum haemorrhagia notabilis, viribus ex integro fractis postremum minarotur exitium. Nunc morti vicinus repente protulit, se egressum e vita mundana nullatenus metuere, seque nil aliud desiderare, quam ut adhucdum semel Klopstockii Hymnum Resurrectionis (Auferstehungslied) audire posset. Frater ultimo satisfactus fratris desiderio tremula adimpleverat voluntatem voce, et mox aeger in somnum pacatum incidit. Post aliquod temporis spatium ex eodem, evigilans, multum sibi virium accessisse declarabat. Tanta adeoque fuit tempore subintrantis criseos musica efficaciae.

Gassendi testatur Dominum quemdam per concentus musicos orci faucibus ereptum fuisse.

Willisius *) commemorat, mulierem quamdam secus perfecte surdam quaeque loquentis verba, quum colloctio tympanorum cum pulsibus sociabatur clare audivisse, ita ut maritus ministerio adsumere cogeretur aliquem, qui tympana pulsaret. Cuius quidem phoenomeni rationem Al-

*) Eiusdem: Histoire de la Musique.

brecht in suo tractatu de effectibus musices §. 123. ita explicat: „In hac femina, et similibus surdastris membrana tympani nimis laxa, ita, ut occasione tremoris, quem excitabat vox humana, tenderetur quidem, at non ea vi, quae requirebatur, ut fieret homotona, hinc eandem non poterat concipere, nec communicare aeri interiori, hinc nulla perceptio. Accedens vero strepitus vehementior tympani bellici eam tendebat, iterum quidem non eo gradu, ut ipse perciperetur, sed tamen qui sufficeret pro recipiendo, et exercendo tremore, voce humana producto, unde hanc clare audiebat.

Similem casum cel. Dr. Holder in viro quodam se observasse perhibet, qui cuiuscunque adloquentis verba, tantum sub tympani bellici sonitu percipere potuit *).

Ita olim Asclepiades ad aures surdastrorum tympanum pulsare solitus est, quo impetrata nervorum concussione baryecioiae mederi posset.

In libro Samuel cap. XVI. vers. 23. legimus: „Igitur quandoque spiritus Domini malus (melancholiae insultus) arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua et refocilabatur Saul, et levius habebat; secebat enim ab eo spiritus malus.

Albrecht I. c. §. 314. ex M. N. C. Dec. II. anno 1682 factum narrat huc spectans: „Quidam temperamenti admodum melancholici, musicae non prorsus expers variis medicamentorum generibus adeo fatigatus est, ut plura tandem admittere recusaret; donec aliquando gravissimo paroxysmo detentus anxie a me rogaret, ut unicum et optimum praescriberem remedium. Cui nihil aliud adhibui, quam sequentem clausulam musicae concinnatam: „Geduldig, fröhlich allezeit.“ Quam simul ac audiret in tantum cachinum effusus est, ut exultans de lecto desiliret, et a morbo plenarie esset liberatus.

Memorabilia sunt, quae cel. Baglivius **) contra morbum, quem ipse a tarantulae morsu derivaverat, ac

*) Philosophical transactions Year 1668. pag. 666.

**) G. Baglivi opera omnia med. practica, et anatomica. Antverpiae 1734. pag. 622.

tarantulismum appellaverat, alii autem recentiores hypochondriae ac hysteriae speciem statuunt, de musica profertur:

„Quoniam irritis quibuscunque remediis, brevi intereunt tarantati: nisi musica praesto fuerit, ideo de modo saltandi nobis familiari pauca mox dicemus.

„A Tarantula demorsi paullo post humi concidunt semimortui, cum totali virium et sensuum jactura, difficulter quandoque spirant, quandoque luctuose suspirant, frequenter tamen immobiles jacent ac velut exanimis. Inchoato musices sono sensim mitescere incipiunt symptomata antedicta, aeger digitos, manus, mox pedes movere incipit, et successive cetera membra, crescenteque sonorum modulamine, motus ipse membrorum augetur, et si patiens humi jacet, vehementissime in pedes elevatur, saltatione inchoat, suspirat, et modis fere admirandis contorquetur, vehementes has ac primas saltationes pluribus horis, sed frequenter duabus tribus horis continuat; postquam vero paululum quieverit in lecto ad sudores abstergendos, viresque reficiendas, eadem vehementia saltationes redintegrat, et facta suppuratione duodecim fere horas quotidie impendit in saltationibus vicissim institutis; et quod mirum est non solum a vehementibus hisce saltationum laboribus lassitudinem aut debilitatem aliquam non sentiunt patientes, sed exinde ut ajunt, agiliores fortioresque evadunt.

„Generaliter saltandi terminus incertus est, multi namque tamdiu saltant, donec ab omnibus solutos symptomatis se persentiunt, quod frequentissime succedit post tertium vel quartum diem; tunc enim spoliata sanguinis massa, virulentis partibus per supervenientes sudores, pristina salutis commoda recuperat patiens, et toto illo anno a pravi morbo symptomatis immanis vivit. Et quamvis per sudores saltationibus provocatos venenosa morbi semina a sanguine diminuantur, non perinde tamen sequitur, ut sudores a vulgaribus diaphoreticis provocati hoc idem praestare possint; nam plures ex nostratibus medicis, quamvis postposita saltatione, sudores provocaverint per aquas et confectiones diaphoreticas, nonnullis diebus ante

suspectam paroxysmi invasionem; nihilominus tamen paroxysmus verè supervenit, et majori cum impetu, fuitque necessariam choream adire, et novos sudores per repetitas saltationes procurare, et ita paroxysmum omnino jugulare.

„Circa illud anni tempus, quo a Tarantula demorsus fuit patiens, recrudescunt gravia morbi huius symptomata; unde qui prompti non sunt in antevertendo morbi insultu per consuetas choreas, ipsos paroxysmus derepente ingruens praeoccupat, ideo ubicunque reperiuntur, concidunt velut apoplectici, aphoni, cum denigratione faciei, et extremorum etc. de quibus omnibus admoniti parentes statim citharocodos vocant, ut sonos inchoent quibus auditis sensim respiscit patiens, primo manus, mox pedes, dein reliquum corpus movet; in pedes origitur, et saltationes consueti modo absolvit. Et ut supra indicavimus, si opportuno tempore non saltaverit, sudoresque hoc pacto evocaverit patiens, toto illo anno miserrime discrutiat inappetentia, colore cutis icterico, lassitudine universali, et reliquis supra recensitis malis, quae magis magisque ingravescent, si annis sequentibus se quidem saltaverit, donec tandem in cachexiam, hydropem, et morbos incurabiles incidat.“

Sufficiencia haec pro demonstranda vi nervos excitante adducta esse censeo argumenta.

II. Morbi cum exorbitante nervorum vita musices ope curati.

Momentosior est effectus musices in compescendam exorbitantem nervorum vitam, in placandos dolores, spasmos, phantasmata et furores.

Pechelius narrat de medico quodam, qui certos tonos adinvenerat sufferendis intensissimis doloribus arthriticis pares.

In arthritide praeterea salubrem musices effectum experti sunt: Diogenes Laertius (de vitis phil. lib. V.) Joan. Heurnius (method. ad praxim III, 28.); Vossius (de quatuor artib. popularibus Cap. IV. 13); Aeneas Sylvius

(Europa C. XIV.): Bonetus; Epiphanius Ferd. (Hist. med.); Sinapius (de remedio doloris C. IV.); Athenaeus (Deipnosoph. Lib. XIV.); Bourdelot; et praeceteris F. Weber.

Caelius Aurelianus de insigni musices auxilio in ischiade copiosa docet, „Loca dolentia (ait) decantasse, quae cum saltum summerent palpitando discusso dolore mitescunt.“ *)

Constat observatione fide praeter ceteros digni Sauvagesii, cephalalgiam symptomaticam in febre intermittente pulsatione tympani bellici adlevatam fuisse. **)

Bourdelot juvenem, sed deformem feminam nymphomania laborantem, curavit concentibus musicis, qui in meris modis mollibus consistebant, bis ter de die in auxilium vocatis. ***)

Menuret testatur puellam tribus annis pertinaci omnes artis conatus eludente morbo convulsivo adfectam, maximam partem a malo suo concentibus musicis liberasse.

Bodinus observavit scelotyrbem laborantes, per musicum initio ad saltandum fuisse instigatos; postquam vero saltatione defatigati fuerant, a morbo penitus fuisse liberatos. ****)

Itidem clariss. Prof. J. Berndt in sua monographia choreae St. Viti (Pragae 1810) musices in hoc morbo usum laudat.

Illustriss. ad Celeb. L. B. de Quarin puellam noverat perquam facile irritatu, quae cum vehementioribus animi motibus concitaretur, non raro inde epilepsia corripiebatur. Forte fortuna sub idem plano tempus, quo imminetis paroxysmi signa jam adparebant, concentus musicos, quibus mirifice alias delectabatur, audierat; neque tum paroxysmi vim ullam aut accessionem sensit; itaque quoties deinceps epilepsiae redeuntis metus ingruebat, harmonici concentus in usum felici eventu vocabantur; donec firmato aptis remediis corpore, aegra penitus malo liberaretur. *****)

*) Trad. passtonum. Basillae 529. Lib. V.

**) Eiusdem nosolog method. Tom. II.

***) Eiusdem „Histoire de la Musique.“

****) De republica lib. V. c. I.

*****) Animadversiones practicae in diversos morbos. Viennae 1814.

Brückmann *) narrat puellam tredecim annorum a spasmodicis epilepticis simillimis ope clavichordii sanata fuisse. Quamprimum musica inchoavit, motus convulsivi evanescere regulares, cessavitque strepitus in pectore.

Feminam hysterico catalepticam, cuius mentis operationes durante paroxysmo mirum in modum exaltabantur, usque adeo ut poeticis inspirationibus occupata videretur, celeberrimi Pomme consilio fidium sonis tractarunt, quorum effectus in moderandis fervente insultu spasmodicis insignes erant. **)

Quod agrypnia et inquietudo, tonis musicis mollibus cedant, et quod exorbitans nervorum systema, tibiae sonis compesci possit, praeter quod multa constant exempla, et quotidiana docet experientia, qua videmus matres et nutrices infantibus suis cantilenarum ope somnum allicere.

Oesterdyk Schacht contra agrypniam in febribus musicis usum suadet dicens: „Malum hoc curatur sono aequabili, et ad numeros composito. ***)

Professor Erdmann ****) Wittenbergensis sequentia narrat: „Ich selbst war einst so glücklich, eine Dame vom Stande, die bei dem Rückfalle eines hitzigen Frieselfiebers mit Ungestüm delirirte, durch das Spiel des Fortepianos mehrmals zu beruhigen. Merkwürdig war der Eindruck, welchen der erste Versuch bei dieser Kranken machte. Aufrecht im Bette sitzend mit unstäten Blicken, und unermüdeter Geschwätzigkeit die verworrensten Vorstellungen verrathend, fing sie sobald von ihrer Freundin die erste rührende Arie gespielt wurde, an bitterlich zu weinen. Ich bat, ein anderes Lied von froherem Character zu singen, und sogleich veränderte sich die Scene. Das Gesicht der Kranken wurde wieder erheitert, und ihre Phantasien wurden sanfter und angenehmer. Bey wiederholten Versuchen wurden ihre Deliria jedesmal nach dem verschiedenen Character der Musik bald besänftigt,

*) Horn's Archiv f. med. Erfahr. Jahrg. 1811, Jan. und Feb. p. 8.

**) Pomme. Traité des vapeurs. T. I. p. 16.

***) Institut. med. pract. cap. XI.

****) Horn's Archiv für practische Medicin und Klinik. 1809. p. 130.

bald gänzlich verscheucht, und die Patientinn in ein stummes behagliches Lauschen versetzt. Von dem wohlthätigen Einfluss dieses Beruhigungsmittels überzeugt, sehnte Sie sich sehr häufig nach demselben, und verlangte in hellen Augenblicken, selbst mitten in der Nacht mit Unge- stüm Musik. Da ich die gefährliche Periode ihrer Krank- heit hindurch in ihrem Hause blieb; so musste ich ihr Verlangen oft selbst befriedigen, und ich that dies mit desto grösserm Vergnügen zu jeder Stunde, je sichtbarer die wohlthätige Wirkung davon war. Noch gegenwärtig nach zwey Jahren, erinnert sich die wieder hergestellte Kranke mit Entzücken des damahls genossenen musikali- schen Vergnügens.“

Musica tandem in sanandas mentis alienationes mul- tum laudatur.

Bourdelot puellam propter amasii perfidiam hysteriasi et insania correptam sanavit eo, quod ternis de die vici- bus per occultos in eius cubiculo tibicines symphoniam in- stitui curavit. *)

D. Schmidt **) de applicatione musicae in vesaniis sequentia dicit: „Die Musik würde vorzüglich da passen, wo ein spastischer Zustand des Sensoriums statt zu finden scheint, ein öfterer Wechsel der Ideen, und Gefühle, schnelles Abspringen der Gedanken, viel und langes Spre- chen, Züge von Genialität in den Reden u. s. w. Sie ist gewiss ein vortreffliches Mittel, um Krämpfe des Seelen- organs zu stillen, und zu beruhigen, besonders manche Gattungen derselben. An meisten würde ich von der Flö- tenmusik erwarten. Ein kleines Orgelwerk möchte daher mit unter den psychologischen Apparat gehören. Man kann durch die Musik auch auf das Sensorium von Menschen aus den niedern Volksklassen wirken, bei denen der feinere Reiz des Sprechens meistens verloren ist.“

In memorialibus Academiae Scientiarum Parisiensis legitur exemplum, plures mania laborantes musices ma- gistros, sanatos fuisse per symphonias in cubilibus eorum-

*) l. c. chap. III. p. 48.

**) Hufeland Jour. d. pract. Heil. B. VIII. 1802. pag. 51.

deni institutas. — Herder testatur puellam, a mentis perturbatione in sequelam febrium ardentium praegressarum, orta sanata fuisse cantilenis, quas aetate tenera nimis libenter audiverat. Anglus Perfect insultum maniacum citharae sonis suppressit.

Neapolis maniaci in morotrophio commorantes musicen edocentur, tamquam comprobatum salutis recuperandae subsidium; ex his bene multi hanc artem callent, publicasque summa cum voluptate audiendas praebent academias, neque raro diversi ex sonatoribus illis sensim, sensimque amissum recuperant rationis exercitium. Id ipsum fit simili modo in Morotrophio Sonnensteiniensi Saxoniae.

Qui plures vis medicatricis musices probas exoptat, consulat indiculum calci operis affixum.

De usu musices therapeutico.

Restat adhucdum exponendum quam ratione remedium hocce applicandum sit? Nam cum evictum sit tam systema nervosum, quam animum diversissimo modo per musicam adfici, sic exponendum erit qua nam ratione remedium hocce adhibendum sit. —

Alia ratione languens nervorum vita erigenda, alia exorbitans compescenda erit. Medici adeoque erit, aptam adinvenire hoc remedium adhibendi methodum, ne periculum incurrat, ut juvare volendo noceat. Ut scopo consentaneae agere possit, omnimodam instrumentorum musicorum naturam, proprietatem uniuscuiusque soni, praeterea stylum, et characterem integrorum operum (*musikalische Stücke*) eum nosse oportet.

Instrumenta musica pro diversa earumdem proprietate diversas faciunt in organismo impressiones.

Sic sonus fidium tibiae (*Flöte*) et tibiae argutioris (*Clarinet*) bonum excitant animum, strepitus tympani, et sonus tubarum, audaciam, pulsus campanarum pietatem.

Ad excitationem adeoque systematis nervosi sonus cornuum, tubarum ductilium (*Posaune*), et tibiae argutioris, ad compescendum vero systema nervosum sonus tibiae psalterii, citharae hispanicae (*Gitarre*) et harmo-

nicae in usum trahi poterunt, attentione tamen praeterea strenua, in originem mali, gradum incitabilitatis, aegri-que consuetudinem continuo directa. Sic v. g. frustra dejectus melancholici solitudinem querentis animus excitari tentabitur sonis tubarum, strepituque tympani, intensitas enim sonorum instrumentorum supra memoratorum ei intolerabilis erit, eiusque intendet misantropiam; e contra sonus tibiae, et psalterii animo eius erigendo, fors pareas erunt. Interim pariter ut instrumentum, et opus ipsum musicum respiciendum erit.

Alium exerit effectum opus musicum Genere soni duro, aliud molli scriptum, etiamsi ambo in uno eodem ludantur instrumento. — Imo testo Schubart quilibet sonus e quo opus quodpiam luditur, suum proprium habet characterem, quadamtenus proprium colorem, et selectus sonus; si ab opere determinatus exigitur effectus, tendentiae eiusdem accomodandus erit.

Meminisse demum oportet, quod generatim musica majorem in artis peritos et cultos exerat efficaciam, ac imperitos et incultos, quodque eo scopo dictum sit, ne fors in expectatione praecociter cepta fallamur.

His cautelis observatis musica per frequentius instituta experimenta mox penum efficaciorum remediorum nostrorum subintrare posset, praesertim in rebellibus iis systematis nervosi affectibus, exoptandumque est ut numerosiora cum remedio hocce instituantur pericula.

L i t t e r a t u r a .

- Antiquae musicae Auctores VII. Graec. et Latini Aristoxenes, Endicles, Nicomachus, Alypius, Gaudensius, Bacchius sen. Aristides. Quinctilianus etc. quos M. Meibonius restituit, et notis illustravit Voll. II. Amstel. 1632.
- Albrecht, Tr. de effectibus musices in corpore humano Lipsiae 1734.
- Bachmann, diss. de effectibus musicae in hominem. Erlangae 1792. Salzburg med. chirurg. Zeit. 1793. III. p. 75.
- Barkhausen, de medicinae ortu, et progressu Diss. I.
- Brendel diss. de curatione morborum per carmina, et cantus musicos. Witteberg. 1706.
- Brown (Rich) Medica musica. Lond. 1674. 8.
- J. Busby's allgemeine Geschichte der Musik, von der frühesten bis auf die gegenwärtige Zeit. Aus dem Engl. übersetzt von G. F. Michaelis 2 Bde Leip. 1821. 8.
- Bourdelot histoire de la musique, et des ses effects. Voll. IV. a Amst. 1725. 12.
- Campbell de musices effectu in doloribus leniendis aut fugiendis. Edinb. 1777.
- Cartheuser, diss. de singularibus quibusdam morborum curationibus. Franc. 1777. p. 4.
- Col de Villars an melancholicis musica? Paris 1737.
- J. Denk Dissertatio inauguralis medica de musices vi medicatrice. Vind. 1822.
- Desbouet sur l'effet de la musique dans les maladies nerveuses Petersb. 1784. — Journal de Médecine Tom. LIX. p. 556.
- Desessartz Reflexions sur la musique comme moyen curatis. Journal general de Médec. F. XV. p. 461.
- Dissertation sur la musique des Grecs, et des Latins par le Père *** 1726.
- Erdmann in Horn Archiv 1809. May p. 121. (incitatio — pacatio).

- Ettmüller, diss. de effectibus musicae in hominem Lips. 1714.
- Feltrinelli Diss. inaug. med. de vi musices in oeconomiam animale. Patavii. 1833.
- Fischer, das National-Museum der Naturgeschichte zu Paris. II. B. od. in der Salzburg med. chirurg. Zeit. 1803. IV. p. 7.
- Francus diss. de musica. Heidelbergae 1672.
- Gentlemen's Magazine Hamburg. Magazin XIV. B. 1 St. Nr. 4.
- Gerpert de cantu et musica sacra, a prima ecclesiae aetate usque ad praesens tempus Voll. II. St. Blas. 1774. 4.
- Ejusdem scriptores Ecclesiae de musica sacra potissimum e variis Italiae, Galliae et Germaniae. codd. meor. coll. Voll. III. ibid. 1784. 4.
- Gutfeld, in Nord's Archiv III. B. 1. St. p. 200.
- Hecker therapia Generalis. p. 97.
- Journal General de Médecine T. XVIII. p. 303. (usus medicus).
- Langius Epist. Lib. III. Nr. 6.
- Lichtenthal (Peter). Der musicalische Arzt. — Abhandlung von dem Einflusse der Musik auf den Körper etc. Wien 1807. 8. A. L. Z. 1812. N. 69.
- Lippius dissert. de musica. Vitebergae. 1609—10.
- Löscher, diss. de Saulo per musicam curato. Vitebergae. 1688.
- Lorry von der Melancholie II. B. p. 151.
- Maluin diss. an ad sanitatem musica? in quaest. Paris. 1733.
- — ergo ad sanitatem musica. Paris. 1777.
- Medeira (Eduar) Inaudita philosophia de viribus musicae in eius nova Philosoph. et Medicina. Ulissip. 1650. 8.
- Mojou, Memoire sur l' utilité de la musique. Paris. 1803.
- Nicolai (Ernst, Anton) die Verbindung der Musik mit der Arzneygelahrheit. Halle. 1745.
- Paschius, Inventa nov-antiqua p. 411.
- Platz, diss. de morbis ex oblectamentis. Lips. 1748. p. 14.
- Reflexions on ancient and modern musik. London. 1749. 8.
- — Hamburg. Magazin IX. B. 1. St.
- Regnier ergo musica in morbis efficax. Paris 1624.
- Reil, Fieberlehre IV. Band p. 180.
- Riedlin Lin. Med. 1700.

- Roger (Joseph Ludov.) Tentamen de vi Soni, et musicis in corp. humano. Monspel. vel Avignon 1758 traduct. in lingv. Gallicam per Sainte Marie. Paris 1803.
- Götting. gelehrte Anzeige. 1804.
- — Traite des effets de la musique sur le corps humain. Montpellier 1803. — Salzb. med. chir. Zeit. 1804. IV. p. 147. Paris 1804. Journal de Médecine continué VII. p. 278.
- Ronsseus Epist. med. N. XV. p. 46.
- Rosenberg, rosa nobiles jatrix. Argentor. 1624. 12.
- Sprengel Diss. de musicae artis cum medicina connubio. Hallae Magdeb. 1800. Salzburg. med. chir. Zeit. 1801. II. B. p. 272.
- Van Swieten, de musicae in medicinam influxu, atque utilitate. Lugd. Batav. 1773.
- Vogel Beschreibung seiner 30 jährigen Seereisen. II. Th. p. 160.
- Widder diss. de affectibus, ope musices excitandis, augendis, et moderandis. Groening 1751.

